



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De vindicatione. Quæstio 108.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

Ad secundum dicendum, quòd ille qui ingrato beneficium exhibet, non dat ei occasionem peccandi, sed magis gratitudinis & amoris. Si verò ille qui accipit, ingratitude exinde occasionem sumat, non est danti imputandum.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui beneficium dat, non statim se debet exhibere punitorem ingratitude, sed prius pium medicum: ut scilicet iteratis beneficijs ingratitude sanet.

## QVÆST. CVIII.

*De vindicatione, in quatuor articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de vindicatione.

¶ Et circa hoc quaruntur quatuor.

¶ Primo, utrum vindicatio sit licita?

¶ Secundo, utrum sit specialis virtus?

¶ Tertio, de modo vindicandi.

¶ Quarto, in quos sit vindicta exercenda.

## ARTIC. I.

*Utrum vindicatio sit licita?*

¶ 64

*inf. 7. 158*

*a. 3. 9. 15.*

*ar. 9. cor.*

*Et mal.*

*9. 12. 2. 1.*

*cor. & ad*

*8. & 14.*

*& ar. 3.*

*ad 5. Et*

*Ro 12. le.*

*3. cor. 5.*

*6. & 7.*

*¶ Est glos.*

*Greg. ho.*

*38. in e-*

*uā. ante*

*mediū.*

*\*c. 17. in-*

*tar prin.*

*& med.*

*tom. 6.*

**A**d primum sic proceditur. Videtur, quòd vindicatio non sit licita. Quicumque enim vsurpat sibi quod Dei est, peccat. Sed vindicta pertinet ad Deum. Dicitur enim Deuter. 32. secundum aliam litteram, Mihi vindictam, & ego retribuam. Ergo omnis vindicatio est illicita.

¶ 2 Præterea, Ille de quo vindicta sumitur, non toleratur. Sed mali sunt tolerandi: quia super illud Cant. 2. ¶ Sicut lilium inter spinas, dicit glos. Non fuit bonus qui malos tolerare non potuit. Ergo vindicta non est sumenda de malis.

¶ 3 Præterea, Vindicta per pœnas fit, ex quibus causatur timor seruilis. Sed lex noua non est lex timoris, sed amoris, ut August. dicit \* contra Adamantium. Ergo ad minus in nouo testamento nulla vindicta fieri debet.

¶ 4 Præterea, Ille dicitur vindicare se, qui iniurias suas vlciscitur. Sed, ut videtur, non licet etiam iudici in se delinquentes punire. Dicit enim Chrys. super

per Matth. † Discamus exemplo Christi nostras iniurias magnanimitè sustinere: Dei autem iniurias, nec vsque ad auditum sufferre. Ergo vindicatio videtur esse illicita.

† h. 5 in  
Mat: in  
opere im  
pess. 10. a

¶ Præterea, Peccatum multitudinis magis est nociuum quàm peccatum vnius tantum. Dicitur enim Eccl. 26. A tribus timuit cor meum, Delaturam ciuitatis, & collectionem populi. Sed de peccato multitudinis non est vindicta sumenda: quia super illud Matth. 13. Sinite vtraque crescere, ne fortè eradice- tis triticum: dicit glossa \*, quòd multitudo non est excommunicanda, nec Princeps. Ergo nec alia vindicatio est licita.

\* glo ord.  
ibid. ex  
Aug.

SED contra, Nihil est expectandum à Deo, nisi quod est bonum & licitum. Sed vindicta de hostibus est expectanda à Deo. Dicitur enim Luc. 18. Deus nō faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte? quasi diceret: imò faciet. Ergo vindicatio non est per se mala & illicita.

RESPONDEO dicendum, quòd vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Est ergo in vindicatione considerandus vindicantis animus. Si enim eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum: quia delectari in malo alterius, pertinet ad odiū, quod charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi iniuste intulit malum: sicut non excusatur aliquis per hoc quòd odit se odientem. Non enim debet homo in alium peccare, propter hoc quòd ille peccauit prius in ipsum. Hoc enim est vinci à malo: quod Apostolus prohibet ad Rom. 12. dicens, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, puta, ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem: potest esse

vindicatio licita, alijs debitis circumstantijs seruatis.  
Ad primum ergo dicendum, quod ille qui secundum gradum sui ordinis vindictam exercet in malos, non usurpat sibi quod Dei est, sed vitur potestate sibi diuinitus concessa. Dicitur enim ad Rom. 13. de Principe terreno, quod Dei minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Si autem præter ordinem diuinæ institutionis aliquis vindictam exerceat, usurpat sibi quod Dei est, & idè peccat.

Ad secundum dicendum, quod mali tolerantur à bonis, in hoc quod ab eis proprias iniurias patienter sustinent secundum quod oportet. Non autem tolerant eos, vt sustineant iniurias Dei & proximorum. Dicit enim Chrysoft. super Matth. † In proprijs iniurijs esse quempiam patientem, laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.

*hom 5 in  
Matth. in  
opere im  
perfecto à  
med. 10.2*

Ad tertium dicendum, quod lex euangelij est lex amoris. Idè illis qui ex amore bonum operantur, qui soli propriè ad euangelium pertinent, non est timor incutiendus per pœnas, sed solum illis qui ex amore non mouentur ad bonum: qui etsi numero sint de ecclesia, non tamen merito.

Ad quartum dicendum, quod iniuria quæ inferitur personæ alicui, quandoque redundat in Deum & in Ecclesiam: & tunc debet aliquis propriam iniuriam vlcisci. Sic patet de Helia, qui fecit ignem descendere super eos qui venerant ad ipsum capiendum, vt legitur 4. Reg. 1. Et similiter Heliseus maledixit pueris eum irridentibus, vt habetur 4. Reg 2. Et Syluester \* Papa excommunicauit eos qui eum in exilium miserunt, vt habetur 23. q. 4. In quantum verò iniuria in aliquem illata, ad eius personam pertinet, debet eam tolerare patienter si expediat. Huiusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundum præparationem animi, vt August. dicit \* in lib. de sermone Domini in monte.

*27. q. 4. c.  
Gual. 18.  
118.*

*li 1. c. 34  
35. et 36.  
som. 4.*

Ad quintum dicendum, quod quando rota multitudine peccat, est de ea vindicta sumenda: vel quantum ad totam

totam multitudinem, sicut Aegyptij submersi sunt in mari rubro persequentes filios Israel, vt habetur Exod. 14. & sicut Sodomitæ vniuersaliter perierunt: vel quantum ad magnam multitudinis partem, sicut pater Exod. 32 in pœna eorum qui vitulum adorauerunt. Quandoque verò si speretur multorum correctio, debet seueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos principaliores, quibus punitis ceteri terreantur: sicut Dominus Num. 25. mandauit suspendi Principes populi pro peccato multitudinis. Si autem non tota multitudo peccauit, sed pro parte: tunc si possunt mali secer- ni à bonis, debet in eos vindicta exerceri, si tamen hoc fieri possit sine scandalo aliorum. Alioquin par- cendum est multitudini, & detrahendum seueritati. Et eadem ratio est de Principe quem sequitur multitudo. Tolerandum enim est peccatum eius, si sine scandalo multitudinis puniri non posset: nisi fortè esset tale peccatum Principis, quod magis noceret multitudini, vel spiritualiter, vel temporaliter, quàm scandalum quod exinde oriretur.

ARTIC. II.

*Vtrum vindicatio sit specialis virtus?*

565

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd vindicatio non sit specialis virtus ab alijs distincta. Sicut enim remunerantur boni pro his que bene agunt, ita puniuntur mali pro his que malè agunt. Sed remuneratio bonorù non pertinet ad aliquam virtutè specialem, sed est actus cõmunitatiue iustitiæ. Ergo pari ratione & vindicatio non debet poni specialis virtus.

¶ 2 Præterea, Ad actum illum non debet ordinari specialis virtus, ad quem homo sufficienter disponitur per alias virtutes. Sed ad vindicandum mala sufficienter disponitur homo per virtutem fortitudinis, & per zelum. Non ergo vindicatio debet poni specialis virtus.

¶ 3 Præterea, Cuiuslibet speciali virtuti aliquod speciale vitium opponitur. Sed vindicationi non videtur opponi aliqd vitium speciale. Ergo non est specialis virtus.

00 2 SED

*lib. 2. de Inuēt. in fol 4. ante su lib. li. 2. ethi. in princ. lib. 10. 5.* SED contra est, quod Tullius \* ponit eam, partem iustitiæ.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut Philosophus dicit in 2. Ethic. \* aptitudo ad virtutem inest nobis à natura, licet complementum virtutis sit per assuetudinem, vel per aliquam aliam causam. Vnde patet quòd virtutes perficiunt nos ad prosequendum debito modo inclinationes naturales, quæ pertinent ad ius naturale. Et ideò ad quamlibet inclinationem naturalem determinatam ordinatur aliqua virtus specialis. Est autem quædam specialis inclinatio naturæ ad remouendum nocumenta. Vnde & animalibus datur vis irascibilis separatim à vi concupiscibili. Repellit autem homo nocumenta per hoc quòd se defendit contra iniurias ne ei inferantur; vel iam illatas iniurias vlciscitur, non intentione nocendi, sed intentione remouendi nocumenta. Hoc autem pertinet ad vindicationem. Dicit enim Tullius in sua rhetorica \*, quòd vindicatio est per quam vis aut iniuria, & omnino quicquid obscurum est, id est, ignominiosum, defendendo, aut vlciscendo propulsatur. Vnde vindicatio est specialis virtus.

*Eoco iam cit. in argum. Sed contra.*

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut recompensatio debiti legalis pertinet ad iustitiã cõmutatiuam; recompensatio autem debiti moralis, quod nascitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ: ita etiam punicio peccatorum secundum quod pertinet ad publicam iustitiã, est actus iustitiæ commutatiuæ: secundum autem quod pertinet ad immunitatem alicuius personæ singularis, à qua iniuria propulsatur, pertinet ad virtutem vindicationis.

Ad secundum dicendum, quòd fortitudo disponit ad vindictam, remouendo prohibens, scilicet timorem periculi imminentiis. Zelus autem, secundum quod importat feruorem amoris, importat primam radicem vindicationis, prout aliquis vindicat iniurias Dei, vel proximorum, quas ex charitate reputat quasi suas.

Cu-

Cuiuslibet autem virtutis actus ex radice charitatis procedit: quia ut Gregor. dicit \* in quadam homil. *hom. 27. in euāg. circa prēci pium.* Nihil habet viriditatis ramus boni operis, si non procedat ex radice charitatis.

Ad tertium dicendum, quod vindicationi opponuntur duo vitia. Vnum quidem per excessum, scilicet peccatum crudelitatis vel sauitiæ, quæ excedit mensuram in puniendo. Aliud autem est vitium, quod consistit in defectu: sicut cum aliquis est nimis remissus in puniendo. Vnde dicitur Prover. 13. Qui parit virgæ, odit filium suum. Virtus autem vindicationis consistit in hoc, ut homo secundum omnes circumstantias, debitam mensuram in vindicando conferuet.

ARTIC. III.

*Virum vindicatio debeat fieri per pœnas apud homines consuetas?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod vindicatio non debeat fieri per pœnas apud homines consuetas. Occisio enim hominis est quædam eradicatio eius. Sed Dominus mandauit Matt. 13. quod zizania, per quæ significantur filij nequam, non eradicarentur. Ergo peccatores non sunt occidendi. 566

¶ 2 Præterea, Quicumque mortaliter peccant, eadem pœna videntur digni. Si ergo aliqui peccantes mortaliter, morte puniuntur, videtur quod omnes tales deberent morte puniri. Quod patet esse falsum.

¶ 3 Præterea, Cum aliquis pro peccato punitur manifestè, ex hoc peccatum eius manifestatur. Quod videtur esse nociuū multitudini, quæ ex exemplo peccati sumit occasionē peccandi. Ergo videtur quod non sit pœna mortis pro aliquo peccato infligenda.

S ED contra est, quod in lege diuina huiusmodi pœnæ determinantur, ut ex supra dictis patet\*.

R E S P O N D E O dicendum, quod vindicatio *1. 2. q. 103 ar. 2.* in tantum licita est & virtuosa, in quantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc

00 3 quod

quod timent amittere aliqua, quæ plus amant quàm illa quæ peccando adipiscuntur: aliàs timor non compeferet peccatum. Et ideò per subtractionem omnium quæ homo maximè diligit, est vindicta de peccatis sumenda. Hæc autem sunt quæ homo maximè diligit, vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, & bona exteriora, pura, diuitias, patriam, & gloriam. Et ideò vt August. refert 21. de ciu. Dei, octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius: scilicet mortem, per quam tollitur vita: verbera, & talionem, vt scilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolumitatem: seruitutem, & vincula, per quæ perdit libertatem: exilium, per quod perdit patriam: damnum, per quod perdit diuitias: ignominiam, per quam perdit gloriam.

lib. 21. c.  
11. parã  
à princ.  
tom. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus prohibet eradicari zizania, quando timetur ne simul cū eis eradicetur & triticum. Sed quandoque possunt eradicari mali per mortem, non solum sine periculo, sed etiam cum magna utilitate bonorum. Et ideò in tali casu potest pœna mortis peccatoribus infligi.

Ad secundum dicendum, quòd omnes peccantes mortaliter, digni sunt morte æterna. quantum ad futuram retributionem, quæ est secundum veritatem diuini iudicij. Sed pœnæ præsentis vitæ sunt magis medicinales: & ideò illis solis peccatis pœna mortis infligitur, quæ in grauem perniciem aliorum cedunt.

Ad tertium dicendum, quòd quando simul cum culpa innotescit & pœna vel mortis, vel quæcumque alia, quam homo horret: ex hoc ipso voluntas eius à peccando abstrahitur: quia plus terret pœna, quàm alliciat exemplum culpæ.

## ARTIC. IV.

*Utrum vindicta sit exercenda in eos, qui inuoluntariè peccauerunt?*

567

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quòd vindicta sit exercenda in eos qui inuoluntariè peccauerunt.

Ve-



Voluntas enim vnus nõ consequitur voluntatem alterius. Sed vnus punitur pro alio: secundum illud Exod. 20. Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrũ in filios, in tertiam & quartam generationem. Vnde & pro peccato Cham, Chanaan filius eius maledictus est: vt habetur Gen 9. Giezi etiã peccante, lepra trãmittitur ad posteros: vt habetur 4. Reg. 5. Sanguis etiã Christi pœnã reddit obnoxios successores Iudaorum, qui dixerunt Matt. 27. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Legitur etiã quòd pro peccato Acham, populus Israel traditus est in manus hostiũ, vt habetur Iosue 7. & pro peccato filiorũ Heli, idẽ populus corruit in conspectu Philistinorum, vt habetur 1. Reg. 4. Ergo aliquis inuoluntarius est puniendus.

¶ 2 Præterea, illud soium est voluntarium, quod est in potestate hominis. Sed quandoque pœna inferitur pro eo quod nõ est in eius potestate: sicut propter vitium lepræ aliquis remouetur ab administratione Ecclesiæ. Et propter prauitatem, aut malitiam ciuiũ, Ecclesia perdit cathedram episcopalem. Ergo nõ solum pro peccato voluntario vindicta inferitur.

¶ 3 Præterea, ignorantia causat inuoluntariũ. Sed vindicta quandoque exercetur in aliquos ignorantes. Paruuli enim Sodomitarũ licet haberent ignorantiam inuincibilem, cum parentibus tamen perierunt: vt legitur Genes. 19. Similiter etiã paruuli pro peccato Dathan & Abiron, pariter cum eis absorpti sunt, vt habetur Num. 16. Bruta etiam animalia que carent ratione, iussa sunt interfici pro peccato Amalechitarum, vt habetur 1. Reg. 15. Ergo vindicta quandoque exercetur in inuoluntarios.

¶ 4 Præterea, Coactio maximẽ repugnat voluntario. Sed aliquis qui timore coactus aliquod peccatum committit, non propter hoc reatum pœnæ euadit. Ergo vindicta exercetur etiam in inuoluntarios.

¶ 5 Præterea, Ambros. dicit † super Lucam, quòd nauicula in qua erat Iudas, turbabatur. Vnde & Petrus qui erat firmus meritis suis, turbabatur alienis. Sed

¶ 4 Petrus

† In c. 9.  
Luc. i. tit.  
de ascen-  
su Iesu  
ad nauẽ  
Simonis,  
to. 5. ha-  
betur 24.  
q. 1. c. nõ  
turbatur

Petrus non volebat peccatum Iudz. Ergo quandoque inuoluntarius punitur.

SED contra est, quod pœna debetur peccato. Sed omne peccatum est voluntarium, vt dicit August. \*

Ergo in solos voluntarios exercenda est vindicta.

RESPONDEO dicendum, quod pœna dupliciter potest considerari. Vno modo, secundum rationem pœnæ. Et secundum hoc pœna non debetur nisi peccato: quia per pœnam reparatur æqualitas iustitiæ, in quantum ille qui peccando, nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. Vnde cum omne peccatum sit voluntarium, etiam originale (vt supra habitum est \*) consequens est quod nullus punitur hoc modo, nisi pro eo quod voluntarie factum est. Alio modo potest considerari pœna, in quantum est medicina non solum sanatiua peccati præteriti, sed etiam præseruatiua à peccato futuro, & promotiua in aliquod bonum. Et secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa. Sciendum tamen quod nunquam medicina subtrahit maius bonum, vt promoueat minus bonum: sicut medicina carnalis nunquam cecat oculum, vt sanet calcaneum. Quandoque tamen infert nocumentum in minoribus, vt melioribus auxilium præstet. Et quia bona spiritualia sunt maxima bona, bona autem temporalia sunt minima: idè quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis absque culpa, cuiusmodi sunt plures pœnæ præsentis vitæ, diuinitus inflictæ ad humiliationem vel probationem. Non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in præsentibus, neque in futuro: quia ibi pœnæ non sunt medicinæ, sed consequuntur spiritualem damnationem.

Ad primum ergo dicendum, quod vnus homo pœna spirituali nunquam punitur pro peccato alterius: quia pœna spiritualis pertinet ad animam, secundum quam quilibet est liber sui. Pœna autem temporalis quandoque vnus punitur pro peccato alterius, triplici

\* li 1. re-  
tra c 9.  
sem 1. q  
lib 3. de  
lib arbit.  
c 17.

1. 1. 3. 81.  
ar. 1.

plici ratione. Primò quidem, quia vnus homo temporaliter est res alterius, & ita in pœnam eius etiam ipse punitur: sicut filij secundum corpus sunt quædam res patris, & serui sunt quædam res dominorum. Alio modo, in quantum peccatum vnus deriuatur in alterum, vel per imitationem, sicut filij imitantur peccata parentum, & serui peccata dominorum, vt audacius peccent: vel per modum meriti, sicut peccata subditorum merentur peccatorem prælatum: secundum illud Iob 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Vnde & pro peccato David populum numerantis, populus Israel punitus est, vt habetur 2. Reg. vlt. Siue etiam per aliqualem consensum, seu dissimulationem: sicut etiam interdum boni simul puniuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt, vt August. dicit in 1. de Ciui. Dei \*.

*c. 9. to. 5.*

Tertiò, ad commendandum vnitatem humanæ societatis, ex qua vnus debet pro alio sollicitus esse ne peccet. Et ad detestationem peccati, dum pœna vnus redundat in omnes, quasi omnes essent vnum corpus: vt Aug. \* dicit de peccato Acham. Quod autem Dominus dicit, Visitans peccata parentum in filio, in tertiam & quartam generationem: magis videtur ad misericordiam, quam ad seueritatem pertinere: dum non statim vindictam adhibet, sed expectat in posterum, vt vel saltem posteri corrigantur. Sed crescente malicia posterorū, quasi necesse est vltionem inferri.

*In l. 9. sicut per Iosue q. 8. to. 4.*

*Ibid.*

Ad secundum dicendum, quod sicut August. \* dicit, iudicium humanum debet imitari diuinum iudicium in manifestis Dei iudicijs, quibus homines spiritaliter damnat pro proprio peccato. Occulta verò Dei iudicia, quibus temporaliter aliquos punit absque culpa, non potest humanum iudicium imitari: quia homo non potest comprehendere horum iudiciorum rationes, vt sciat quid expediat vnicuique. Et ideo numquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri sine culpa, pœna flagelli, vt occidatur, vel mæiletur, vel verberetur. Pœna

autem damni punitur aliquis etiam secundum humanum iudicium, etiam sine culpa, sed non sine causa. Et hoc tripliciter. Vno modo, ex hoc quod aliquis ineptus redditur sine sua culpa ad aliquod bonum habendum, vel consequendum: sicut propter vitium lepræ aliquis remouetur ab administratione Ecclesiæ; & propter bigamiam, vel iudicium sanguinis aliquis impeditur a sacris ordinibus. Secundò, quia bonum, in quo damnificatur, non est proprium bonum, sed commune: sicut quod aliqua Ecclesia habeat episcopatum, pertinet ad bonum totius ciuitatis, non autem ad bonum clericorum tantum. Tertio, quia bonum vnius dependet ex bono alterius: sicut in crimine læsæ maiestatis, filius amittit hereditatem pro peccato parentis.

Ad tertium dicendum, quod paruuli diuino iudicio simul puniuntur temporaliter cum parentibus: tum quia sunt res parentum, & in eis etiam parentes puniuntur: tum etiam quia hoc in eorum bonum cedit, ne si reseruarentur, essent imitatores paternæ malitiæ: & sic grauiores pœnas mererentur. In bruta vero animalia, & quascumque alias irracionales creaturas, vindicta exercetur: quia per hoc puniuntur illi quorum sunt, & iterum propter detestationem peccati.

Ad quartum dicendum, quod coactio timoris non facit simpliciter inuoluntarium, sed habet voluntarium mixtum, ut supra habitum est \*.

n. 2. q. 6.  
a. 5. q. 6

Ad quintum dicendum, quod hoc modo pro peccato Iudæ, cæteri Apostoli turbabantur: sicut pro peccato vnius punitur multitudo, ad vnitatem conueniendam, ut dictum est †.

In sol. ad  
1. q. ad  
2. arg.

## QVÆST. CIX.

De Veritate, & vitijs oppositis, in quatuor articulos diuisa.

**D**Einde considerandum est de veritate, & vitijs oppositis.

¶ Circa veritatem autem queruntur quatuor.

¶ Primo, utrum veritas sit virtus?

¶ Se-